



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Brvckeri Regiae Scient. Societatis, Qvae Berolini
Floret, Membri Historia Critica Philosophiae**

A Tempore Resvscitatarvm In Occidente Literarvm Ad Nostra Tempora

Brucker, Johann Jakob

Lipsiae, 1743

Praefatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29129



PRAEFATIO.



Tandem densas, quas dumeta seculorum barbarorum oculis obiecerunt, tenebras, et impeditas aevi medii sylvas eluctati, impatientiores Te, campos et iucundiorum lucem, Lector beneuole, deducimus, historiam pandentes philosophiae, quae post resurgentem literarum honorem e puluere et squalore protracta pristinum decus recuperare coepit. Ea cum vel sectaria fuerit, vel eclectica, periodus haec philosophicae historiae tertia in duas partes diuidenda fuit, quarum priorem hoc volumine comprehendimus, et quicquid sectaria methodo philosophatum est, Lectori conspiciendum dedimus.

P R A E F A T I O.

dimus. Omnes autem, quae renouatae sunt sectas ita descripsimus, vt philosophorum consilia, rationesque quibus permoti ad hanc anchoram confugerunt, pate-
scerent. Ipsam quoque celeberrimorum virorum, qui de philosophia meruerunt, historiam eodem, quem ini-
tio ingressi sumus, tramite decurrentes enarrauimus, vt potissimum Lectori constaret, quo pacto philoso-
phiam adiuuerint, quid in ea praestiterint, quae cir-
cumstantiae in placita eorum hypothesisque deamatas
influxum habuerint, quaeque fuerint rationes arcanae,
quibus systemata delecta confirmarentur. Idem de il-
lis annotatum a nobis est, qui dum sectariae viae in-
eptias effugere voluerunt, in deuia inciderunt, a philo-
sophiae verae regia, quam pandit via, prorsus seducen-
tia, qualia sunt scepticismus, et philosophia illa fanatica,
quae se theosophicam et diuinam iactare solet. Ita
vero innumerae obseruationes enatae sunt, quae alibi
frustra quaeruntur, ad formandum autem intellectus iu-
dicium, eiicienda praeiudicia veritati inimica, et de-
trahendam pseudo-philosophiae laruam quam maxime
conducunt. Cum autem recentior quoque historia
philosophica cum literaria arte cohaereat, nihil prae-
termisimus, quod lucem accendere Lectori posset, re-
liqua,

P R A E F A T I O.

liqua, quae vel exercitato iam nota sunt, vel vbique inueniri possunt, ideo omisimus, ne in infinitum excresceret prolixa tractatio. Et fontes quidem, vnde omnia haufimus, eadem, qua haftenus vsi sumus, fide indicauimus, abstinuimus tamen a cumulandis scriptoribus, qui cateruatim recentiore eruditorum historiam persequuntur, iis praecipue, qui in omnium manibus sunt, nihil autem noui afferunt, quos tum demum adduximus, vbi singulare quid exhibent, aliis non obseruatum. Qui vero copiosiora cupit, is facile iis sitim restinguet, quae in Germanico opere, iuentuti consulturi coaceruauimus. Eorum vero, quorum fontes rarissime occurrunt, quotquot nobis consulere licuit, (qua quidem felicitate frequenter sumus gauisi) accuratam dare notitiam studuimus, quo pacto ex rarissimis operibus virorum celeberrimorum satis amplas recensiones dedimus, quia ex mille lectoribus vix vni vel occasio vel tempus suppetit illa consulendi. Illud vero veritatis studium et fidei historicae candorem eum attulimus, quem legis instar in toto opere nobis constituimus sequendum. Quare a pristina sententia toties recedere non erubuimus, quoties veritas poscebat, et noua lux, quae nobis orta est, iubebat.

PRAEFATIO.

Meliora enim edoctos sententiam mutare nos eo minus pudet, quo minus haec sacra aliter non constant, et nos humanae sortis ex aequo fumus memores. Plura de hac tractatione dicere, lectoremque morari opus haud est, cum in limine dicendorum *διατύπωσιν* exhibuerimus. Si quid in his recti dictum est, fauorem petimus, si quid sinistri errorisque admiserit humana fragilitas, veniam expectamus. Scrib. Kaufbyrae Calend. Septemb. A. S. R.

MDCCCLXIII.



IACO-